



Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,
& Decretorum ad Officium ...**

Urban <VIII., Papst>

[Romae], 1645

XVII. Contra exercentes artem Astrologiae iudiciariae, & alia quaecumque
diuinationum genera, librosque legentes vel tenentes. Sixtus Episcopus
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10826

Anno à Natiuit. Domini Nostri IESU
 Christi Millesimo sexcentesimo vigesi-
 mo octauo, Indictione undecima, die
 vero decima Septembris, Pontificatus
 in Christo Patris, & D.N. D. Urbani
 diuina providentia Papæ VIII. anno
 eius sexto, retroscriptæ Litteræ Aposto-
 licæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad val-
 uas Basilicarum Sancti Ioannis Late-
 ranen. et Principis Apostolorum de Vr-
 be, & in acie Capi Floræ, dimissis præ-
 sentibus litteris per aliquatulum tem-
 poris spatium, ut moris est, affixis, ac
 deinde amotis, postea earumdem exem-
 pla etiam impressa, & affixæ relicta
 fuerunt per nos Franciscum Pignocca-
 tum, & Camillum Fundatum S. D. N.
 Papæ Cursores.

Brandimartes Latinus S. D. N. Papæ
 Cursor, pro Mag. DD. Cursorum.

 X V I I .

Contra exercentes artem Astrologiæ iu-
 diciariæ, & alia quæcumque diuinatio-
 num genera, librosque legentes vel
 tenentes.

SIXTVS EPISCOPVS SERVVS

*Servorum Dei. Ad perpetuam rei
memoriam.*

Edita An. D.
1585.

COeli & Terræ Creator Deus, quem
vnum Omnipotentem corde cre-
dimus ad iustitiam, & ore confitemur ad
salutem, etsi homini, quem ad imagi-
nem & similitudinem suam creavit, mē-
tem dederit, quæ non solum diuino Fi-
dei lumine illustrata, mysteria illa co-
gnosceret, quæ humanam intelligentiam
superant, sed etiam naturæ suæ vi, ma-
gno licet cum labore, præclara multa in-
uestigaret, atque intelligeret; tamen ut
superbum animal homo non altum sape-
ret, sed timeret, & immensam Condi-
toris sui maiestatem humi stratus vene-
raretur, sibi soli eorum quæ euentura
sunt, scientiam & futurarum rerum co-
gnitionem reseruauit. Solus enim ipse,
cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt,
& ad intimas hominum cogitationes pe-
netrat, & consequentes eorum actiones
intuetur, solus ipse, qui vocat ea quæ
non sunt, tanquam ea quæ sunt, omnia
præsentia, & ante oculos posita habet,
solus denique omnia & singula quæcum-
que totius temporis decursu, & sæculo-
rum ætatibus futura sunt, ab omni æter-

Multa mæsa
proueniūt ex
arte Astrolo-
giæ iudicia-
riæ Magicæ,
Negroman-
tiæ, & similitū

D ni-

nitate nouit, & admirabili prouidentia
 disposuit, quæ non modo humanæ men-
 tis imbecillitas ignorat, sed nec dæmo-
 nes ipsi præsentire possunt. Quare ido-
 lorum in futuris annunciãdis falsitatem
 & imbecillitatem, & eorum, qui eis cul-
 tum adhibebant, vanitatem irridet Spi-
 ritus Sanctus apud Isaiam illis verbis:
 Annunciate quæ ventura sunt in futurũ,
 & sciemus, quia **Dij** estis vos: & in nouo
 testamento **CHRISTVS** Dominus di-
 scipulorum suorum de futuris euentis
 paulo cupidius inquirentium, interroga-
 tionem graui illa respõsione retudit, qua
 etiam omnium fidelium suorum curiosi-
 tatem coeruit. Non est vestrum scire,
 tempora vel momenta, quæ Pater posuit
 in sua potestate. Nec vero ad futuros
 euentus & fortuitos casus prænosceudos
 (futuris euentibus ex naturalibus causis
 necessario vel frequenter prouenienti-
 bus, quæ ad diuinationem non pertinent,
 duntaxat exceptis) ullæ sunt veræ artes
 aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ im-
 proborum hominum astutia, & dæmonũ
 fraudibus introductæ, ex quorum opera-
 tione, consilio vel auxilio, omnis diui-
 natio dimanat, siue quod expressè ad fu-
 tura manifestanda innocenter, siue quod
 ipsi prauitate sua, & odio in genus hu-
 manum, occultè, etiam præter hominis

in-

intentionem se ingerant & intrudat vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & alijs quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in huiusmodi futurorū contingentium, & fortuatorum euentuū inquisitione, & præcognitione, diaboli operationem se, fallaciter immiscere, vt sua fraude ac dolis, miseros homines à via salutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ cum ita sint, nonnulli hæc fideliter & religiosè, vt debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, grauitè Deum offendunt, errantes ipsi & alios in errorem mittentes. Tales imprimis sunt Astrologi olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam falsamque syderum & astrorum scientiam profitentes, diuinæ dispositionis ordinationem, suo tempore reuelandam præuenire audacissimè satagentes, hominum natiuitates seu genituras, ex motu syderum, & astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura, sine etiam

praesentia & praeterita occulta, atque ex
 puerorum ortu & natali die, siue quauis
 alia temporum & momentorum, vanissi-
 ma obseruatione & notatione, de vniuf-
 cuiusque hominis statu, conditione, vi-
 tae cursu, honoribus, diuitijs, sobole, sa-
 lute, morte, itineribus, certaminibus,
 inimicitijs, carceribus, exilijs, varijs
 discriminibus, alijsque prosperis, & ad-
 uersis casibus & euentibus praecogno-
 gnoscere, iudicare, & affirmare temere
 praesumunt, non sine magno periculo er-
 roris & infidelitatis; cum S. Augustinus
 praecipuum Ecclesiae lumen, eum, qui haec
 obseruat, qui attendit, qui credit, qui in-
 domum recipit, qui interrogat, Christia-
 nam fidem & baptismum praeuaricasse,
 affirmet, vt illos merito Apostolus ar-
 guat atq; increpet illis verbis: Dies ob-
 seruatis, & menses, & tempora, & annos:
 timeo vos ne forte sine causa laboraue-
 rim in vobis. Hi igitur leuissimi & te-
 merarij homines in miserandam anima-
 rum suarum ruinam, graue fidelium sca-
 dalum, & Christianae Fidei detrimentum,
 futuros rerum euentus, & quaecumque
 prospere vel aduerse obuentura sunt, ac
 actus humanos, ea denique quae ex libe-
 ra hominum voluntate proficiscuntur,
 astris syderibusq; ascribunt, eisq; eam fa-
 cultatem, vim, seu virtutem & efficaciam

tribuunt significandi futura; et ad præcognita ita inclinandi, vt sic omnino nec aliter euentura sint, atque ob eam causam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, et præcognitiones sibi assumere, et palam venditare non dubitant: quibus pauci rudes et imperiti, alijque nimis creduli et imprudentes tantam fidem præstant, vt ex huiusmodi iudiciorum, et prædictionum præscripto, aliquid certo esse credât aut sperent. Quorû sanè et mendacium magistorum temeritas, et infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis litteris admoniti non intelligût hominis præstantiam, cui Cœli et Stellæ, et clarissima Cœli sydera Sol et Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt. Sic enim Moyses populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat. Ne forte eleuatis oculis ad Cœlum, videas Solem et Lunam, et omnia astra Cœli, et errore deceptus adores ea, et colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini seruire? nonne nobilissime Intelligentiæ Angeli ipsi, omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis? nam rationa-

les oues ita diligit Deus, vt non solum Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiam Angelos destinauerit. Preclarè etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaqueque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersus Angelorum custodiam et tutelam astramoliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco pretereunda est eximij Ecclesie Doctoris, et Beatissimi Pontificis Magni Gregorij sententia, qui Priscillianistas hereticos vnumqueque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum et verborum pondere confutat. Absit, inquit, à fidelium cordibus, vt aliquid esse Fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc Conditor, qui creauit administrat, neque enim propter stellas homo, sed stelle propter homines facte sunt, et si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministerijs subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc scirent, et intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos.

Ne-

Neque enim que Christiana et vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio inuestigarent, iisdemq. misere se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines et curiosi, vel impij et irreligiosi, qui futurarum et occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, vt ob eadem preno-scenda et inuestiganda, in diuinę legis offensionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantię, Hydromantię, Aeromantię, Pyromantię, Onomantię, Chiromantię, Necromantię, alijsq. sortilegijs et superstitionibus, non sine demonum saltem occulta societate, aut tacita participatione, operam dare, seu illis, ac sortibus, illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij vero aliquas pristinę et antiquatę ac per Crucis victoriam prostratę Idololatrię reliquias retinentes, quibusdam augurijs, auspicijs, similibusve signis, et vanis obseruationibus ad futurorum diuinationem intendunt. Alij autem sunt, qui cum morte fœdus ineunt, et pactum faciunt cum Inferno, qui similiter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicę artis incan-

tationes, instrumenta et veneficia adhibent, circulos et diabolicos characteres describunt, demones inuocant, aut cōsulant, ab eis responsa petunt, aut accipiūt, eis preces et thuris, aut aliarū rerū suffimēta, seu fumigationes, aliaue sacrificia offerunt, cādelas accendūt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obsequia præstant, cultum venerationemue tribuunt, aut anulum vel speculum, aut paruas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant, ad demones in eis alligandos, seu includendos, vt putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus, demones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt; vt merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperauit, vanas, mendacesque referant responsiones. Alij quoque præstigiatores, frequentius vero mulierculæ quædam superstitionibus deditæ, in phyalis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sãcti, & Albi, diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in vignibus, aut palma manus, quandoque
 etiam

etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum Architectum orant, vt similiter futura, vel occulta quæuis spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat; aut ab eodem patre mendacij diabolo alijs incantationibus, aut varijs superstitiosis observationibus, futurorum, & occultorū huiusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omniū, quos supra enumerauimus, consimilis impietas parem exitum habet: nimirum, quod demonis præstigijs, ac dolis, tum qui diuinant tum qui diuinationem expetunt, illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros euentus in seipsis considerare antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, vt Astrologi, & alij prædicti, qui huiusmodi futura prænunciare, aut prænoscere quocunque modo, nisi Deo reuelante audent, iniuste, atque impudenter, quod Dei est sibi assumant & usurpent. Sic fit, vt dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, Diuina Maiestas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sãguine redemptis, pestis, atque exitium importetur.

S. 2. Et licet iam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri

Ordinarijs
ideo influm
fuit vt eius-

modi artes,
& libros ex-
tirparēt, sed
extirpatio
experta non
fuit.

facri generalis Trident. Concilij confe-
cti, illud inter cætera constitutum fuerit,
vt Episcopi diligenter prouiderent, ne
huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ libri,
tractatus, & indices legerentur, vel ha-
berentur, qui de futuris contingentibus
successibus fortuitisue casibus, aut ijs
actionibus, quæ ab humana voluntate
pendent, certo aliquid euenturum affir-
mare audent, permissis tamen iudicijs,
& naturalibus obseruationibus, quæ na-
uigationis, agriculturæ, siue medicæ ar-
tis iuuandæ gratia conscripta fuissent.
Libros vero omnes, & scripta Geoman-
tiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necro-
mantiæ, siue in quibus continentur for-
tilegia, veneficia, auguria, auspicia, incā-
tationes artis magicæ, prorsus reijci, &
aboleri curarent. Non tamen errorum
corruptelarum, delictorum, & abusu
predictorū extirpationi vsque adeo pro-
uisum est, quin etiam adhuc in nonnullis
locis, & apud plurimos curiosius vigeāt,
cum valde frequenter, detectis diaboli
insidijs, diuinationum, sortilegiorum, &
variarum superstitionum omnia plena
esse in dies detegantur.

Hic itaq. Pō-
tif. Astrolog.
iudiciarios,
Mathemat.
Diuinato-
res, & cæt. ab

§. 3. Nos, igitur, qui pro nostro pasto-
ralis officij munere Fidei integritatem,
inuiolatam conseruare debemus, & ani-
marum saluti prospicere, quantum diui-
na

na gratia adiutrice possumus, ex paternæ
 charitatis visceribus optamus, damnan-
 tes, & reprobantes omne genus diuina-
 tionum, quæ diabolo auctore ad fidelium
 deceptionem à prædictis curiosis, vel
 perditis hominibus fieri solent. Cupien-
 tes præterea sanctam illam Christianæ
 Religionis simplicitatem, præsertim vbi
 agitur de summa Creatoris Dei pote-
 state, sapientia, & prouidentia, ab omni
 erroris labe, integram atque incorruptā,
 vt par est, retineri. Volentes quoque præ-
 dictæ falsæ credulitati, ac huiusmodi illi-
 citarum diuinationum, & superstitionū,
 detestabili studio, & execrandis flagi-
 tijs, atque impuritatibus occurrere, vt de
 Christiano populo merito dici possit,
 quod de antiquo Dei populo scriptum
 est Non est augurium in Iacob, neque
 diuinationo in Israel. Hac perpetuo vali-
 tura constitutione, Apost. auctoritate
 statuimus, & mandamus, vt tam contra
 Astrologos, Mathematicos, & alios quos-
 cumque dictæ iudiciariæ Astrologiæ ar-
 tem, præterquam circa agriculturam, na-
 uigationem, & rem medicam in posterū
 exercentes, aut facientes iudicia, & na-
 tiuitates hominum, quibus de futuris
 contingentibus successibus, fortuitisque
 casibus, aut actionibus ex humana vo-
 luntate pendentibus aliquid euenturum

affir-

Orānarijs,
 & ab Inqui-
 sitoribus se-
 uere coerce-
 ri mandat.

affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserant, aut protestentur, quã contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur & docent, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiam si in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant & procedant, atque in eos seuerius. Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

Librosq. harum artium retineri vetat.

§.4. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt supra in memorato Indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à qui-

quibuscumque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & cõsignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iisdem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint.

§.5. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Clausule derogatoria.

§.6. Vt autem præsentis nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, iubemus illas in valuis Basilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi seu appendi, eisque detractis, ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui. Iussio pub
in Vrbe.

§.7. Et insuper vniuersis & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum Ordinarijs & Prælati, necnon Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt Et extra.

per

per se vel aliū seu alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis & singulis parochialibus Ecclesijs, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenit, deinde vero semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

Fides exemplorum.

¶ 8. Quia vero difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus vt earum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo Sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius Prælati, vel Curie ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra vbique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo &c.

D. P. A. r. die
5. Ianuarij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Nonis Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo.

Anno à Natiuitate Domini 1586. indictione 14. die vero 9. mensis Ianuarij, Pontificat. S. D. N. D. Sixti diuina providentia Papa V. anno 2. retrospectæ litteræ Apostolicæ officii, lectæ, & publicatæ

blicatæ fuerit in valuis seu portis sancti Ioannis Lateranensis, & sancti Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellaria Apostolica, & aciei Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissa per nos Ioan. Freyle & Nicolaum Tagliettum S. D. N. Papæ Cursores.

Alex. Parabiacus Mag. Curs.

I V. Alias CXIII.

Contra Astrologos Iudiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, necnon eos qui illos desuper consulere præsumperint, cum in nouatione similis cōstitutionis Sixti Papæ V.

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabilis Iudiciorum Dei altitudo non patitur vt humanus intellectus tenebroso corporis carcere confrictus, super astra se extollens, arcana in sinu Diuino recondita, & ipsis beatissimis

Edita Au.D.
1631.